



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXI. Veterem legem moribus, & politiæ vtilem fuisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

tibus habeatur, ne sit irritum, quod factum est, satis omnino ostenditur, in ceteris cum obligatum esse. Quamvis enim lex illa irritans pœnalis esse videatur; quia tamen per se intendit, ne sit actus validus, ideo tenetur.

Causa hujus rei est, quia ad vitandas fraudes, ob commune bonum constituta est certa agendi ratio; itaque lex irritans, commune bonum, & juris, justitiæque executionem respicit; quam non minuere, sed augere Princeps tenetur, & firmare. Non est autem omnis lex irritans actum, pœnalis, quia aliquando dat formam actui, ideoque & Principem obligat. Sic Panormitanus in cap. 2. de Constitutionibus. Hæc enim est lex directiua, qua obligatur Respublica.

Cætera solennitates quæ accidentariæ sunt, majestate Principis suppleuntur; quia lex vel consuetudo hoc ei indulgit. Nisi enim ita statuamus multa incommoda sequentur. Nam suo solo testimonio poterit Princeps causas leuare, vel affligere, si nulla testium solennitas, aut numerus requiritur. Nec alia consuetudo est in plerisque locis, cum Principibus enim eodem modo secundum legum formulas omnia transiguntur, sicut inter priuatos. Atque hæc vere est majestas Principis, quæ major est ipso Principe.

Libertati
civium, &
dignitati
Principis
non obest
belientia.

CAPVT XXI.

*Veterem legem moribus, & Politia
vitalem fuisse.*

§. 1. **Q**uæ de veteri lege à Theologis vtiliter disputantur non multum ad politice conducent, itaque paucis illa propositionibus concludam, atque ad alia me accingam.

Leges quædam præter naturales etiam ante legem Moysi datam à Deo posite sunt. In Paradiso lex de non edendo ex arbore scientiæ boni & mali; deinde de animalibus mundis, & immundis.

§. 2. Lex Moysi data, sancta fuit, à bono Deo data, per Angelos, in manu Moysi mediatoris, ejus finis supernaturalis fuit, ut ad virtutem, & consequenter ad æternam vitam educerentur, ut Christum ad quem lex ducebat, nobis figurarent, ut cultum Dei inter tot abscondas idololatriæ caeremonias constitueret, ut Politicum ordinem firmaret.

§. 3. Solis Judæis data fuit, eosque solos obligauit, & eos, qui accepta circumcisione Judæis in Iudæorum coloniam transibant.

§. 4. Triplicia fuere præcepta, moralia, ceremonialia, iudicialia. Moralia omnes, & semper obligant; Cærimonialia sunt abrogata, & iudicialia per mortem Christi primo mortua, deinde mortifera.

§. 5. Hæc multis modis, & docte, vtilissimeque disputantur, sed ad politice non ad modum faciunt. Vnum est, quod à viris eruditissimis aliquando propositum est. Cur Christianæ Reipublicæ non videntur legibus iudicialibus à DEO ipso latis, cur enim quamvis non obligent, non potius secundum leges Dei, quam impiorum Cæsarium controuersias decidunt? Id vero eo magis quod iusta iudicia illa arbitrari omnes debemus, de legibus Imperatorum merito dubitemus, quarum multæ iniquæ fuerunt. Suis iudicibus Deus inculcat, Deuter. 1. 17. *Præcipis, omnia quæ facere deberetis.*

Cur non igitur, quæ cap. 21. Exod. præcipiuntur, de seruitutis non seruantur? Cur non si quis furatus bouem fuerit, non cogitur dare quinque pro

uno, sed suspenditur? Et versic. 16. Pro stupro tantum conjugium scemina, & dos imperatur? Et versic. 26. pignus ante noctem iubentur reddere. Hæc & similia cum iusta trutinæ æterna veritas librarit, quare nunc alijs legibus vitimur? cur non uxorem fratris ducit domum frater?

Verum quotquot sunt ejusmodi legum, cum mutabiles sint, non est necessarium à Republica suscipi, nec ideo tamen minus prudenter à Deo latae sunt. Pro captu enim, & ingenio Iudæorum accommodatae fuerunt. Cum vero initia ciuitatum alias leges habuerint, non fuit causa commutandi. Deinde non tulit illas leges Deus, nisi pro illa Republica, quam inmutatum iri prævidebat. Mutatis temporibus leges quoque mutandæ sunt. Iure nunc furta puniuntur morte; si enim restituenda essent, cum plerumque pauperes sint, magis ad furta astringerentur.

Tertio, quantum esset ad nequitiam incitamentum, si scortatori diuitis puellæ nuptiæ in præmium cederent? Non ignoro moris id esse cum pares sunt, cum vero est magna differentia, aliud iura statuunt. Sed tum leges illæ in illo populo, & disciplina iustæ erant, nunc materia in multis gentibus mutata est, ut eo pertinere non possint.

Cur iudiciales
leges non
seruantur.

CAPVT XXII.

*Antinomus Republica pellendos
esse.*

§. 1. **E**vangeliū à Christo Dei Filio nobis traditum est; unde lex noua, quam Euangelicam dicimus, ejus auctor est ille, qui & Redemptor, de quo Isaias 33. 22. Dominus iudex noster, Dominus legislator noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos.

§. 2. Continentur ea lege præcepta moralia, Sacramentalia, & Fidei. Moralia quidam perfectius exposuit Christus, & præcepta sacramentalia omnino noua tradidit, veteribus abolitis. Fidei præcepta explicatiora dedit; nam alioqui etiam Iudæis, & Patribus ante diluuium credendi præcepta data sunt.

§. 3. Illa præcepta nobis omnino seruanda sunt; omnia enim non fidei duntaxat præcepta nos obligant.

§. 4. Hac in re hæreses sunt, erroresque non contra pietatem modo, sed etiam in Republica, & Politica perniciosissimi.

Primo enim Sectarij profitentur legem moralem seruari nequaquam posse. Secundo solam fidem à Deo recipi pro omnium præceptorum obseruatione; ut aliqui; vel fidem solam imputari pro iustitia. Fidem scilicet accipiunt pro fiducia iustitiæ & salutis. Tertio. Credentibus nullius mandati quocumque modo violati pœnas imminere æternas.

Quarto. Christum itaque legislatorem non esse, sed tantum gratiæ promissorem, donatoremque. Hinc ortum habere Antinomi, qui omnem legem contemnunt, & Muntzeriani, qui Lutherici vti principijs; omnem non modo legem, sed etiam Magistratum repudiarunt. Contra eos initio disputauimus, qui conscientias ab obligatione legum humanarum omnino securas arbitrantur, quos ostendi Reipublica perniciosos esse. Nunc hi quidem peccare se violandis legibus, fatentur, sed pœnam non metuere, quod ab omni execratione actiua, & passiua sint liberati; quia nec

Fides, sacramenta, mores absoluti
Christiani efficiunt.

Hæreses in
Reipublica
perniciosa
cantes.

Antinomi
bella inceperunt.